



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

Festa Mobilia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

FESTA MOBILIA.

FESTUM RESURRECTIONIS D. N.

JESU CHRISTI.

IO triumphe ! Io ! Vicisti Christe
amor meus ! agnosco vultum victo-
rum , & victricem , quâ hostis meus
cecidit , manum : video in bono Du-
ce victoriæ vestigia , plagas adversas !
laudo trophaum nobile , Crucis arborem.
Ecce ante currus triumphales cum mun-
do dæmonum , cum morte carnem . Io !
cæli plaudite : aër insona : triumphum
clamate litora : terra resulta : & tu Echo
mille hodie ora indue . Heus ! adeste
quotquot estis mundi cives ! quercus ,
imò nemora spoliare , & Servatori vestro
Civicam ferte . Agite veris arva latissi-
ma , rectè omne , quod vobis est , gramen
suppeditatis . Nam *obsidionalem* non jam
urbs , sed orbis debet obsidio dæmonis
liberatus . Eia , quid moras nectitis , qui
in lacrimis natatis naufragi ? quin tabu-
las colligitis , & *Navalem* paratis illi , qui
victor Stygem trajecit ? Quin *Castrensi* or-
natis eum , qui primus castra Phlegethon-
tis victor transcendit ! Ecce Angeli ra-
mis suis Palladem spoliant feruntque
Oleaginam illi , qui pacem DEUM inter
& homines potuit componere . Sed
numquid *Triumphales* obliviscemur co-
rona ?

A

rona ?

2 FESTA MOBILIA.

rona? Ecce ultrò laurus in sertum abit, æternam viriditatem sperans, si hæc tempora contigerit. Sed & tu abi ignes omne aurum, & exi corona Triumphatori meo. At tu cape has coronas victor Amor, & si omnibus his rosæ sese immisceant, ne has repudia. Spinae nuperæ dederunt.

Susceptis tecum aromatibus Dominicum visere cura sepulchrum. Ibi lacrimas devotionis effunde; nec usquam divertas, donec resuscitati Domini teneas vestigia, contrectes manu ac lenias osculis clarorum foramina. Illum audi loquentem, agnosce viventem, dilige diligentem. S. Laur. Iust. serm. de Resur. D.

FESTUM ASCENSIONIS D. N.
JESU CHRISTI.

IO! iterum: iterum Io! iterum Trium-
phe! Ecce amor meus triumphans
Capitolium cœleste petit! Ecce obvios
omnes cœli cives! Ecce ereptos orco &
servatos Patres, omnes cœli libertate pi-
leatos! O numerum daretur horum au-
gere! ô ultima triumphi appendix pe-
dibus hædere possem triumphantis!
Vicisti, eia Amor Christe amatum.
En manus do victas. Victum eccur non
etiam in triumphum ducis? Ecce se-
quar vel vinctus curram. Heu mihi! sine
me hem jam nubes transit, hem Christus
habet.

FESTA MOBILIA. 3

habet muros ! Hæc nimirum ab inferis reduci victori unica corona derat, *Muralis*. Hanc quoque, dum primus hodie amor meus in cæli mœnia evadit, Primus tulit. Sed ne animum despondere cæteri, qui bellum cælo facitis, & vi amicâ cælum iris expugnatum. Auferet (iterum moneo) hanc etiam secundus, tertius, etiam ultimus. Imò ultimus primas feret, & quò profundius descenderit, hoc altius ascendet. Neque est, quòd viam multum inquiramus quæ ad triumphum ducat. Impressit huic Christus vestigia sua, sanguine notavit.

HACITUR.

Ascendamus tum Christo corde, ut cum dies ejus promissus advenerit, ascendamus & corpore. Sed cum Christo non ascendit superbia, non avaritia, non luxuria; nullum vitium nostrum ascendit cum medico nostro. Ideo si post medicum desideramus ascendere debemus vitia deponere. S. Aug. serm. 2. de Asc. Dom.

FESTUM PENTECOSTES.

Non ego jam centum ora totidemque linguas, unam tantum ex iis opto, quas hodie cælum depluit. Jacebat è juventure studiosâ adolescens, quem in lectum non tam ægritudo quàm scelerum pondus dejecerat. Cæcus interea non videbat ante orci fores se stare, A. 2. 1. surdus.

4 FESTA MOBILIA.

surdus ne fratris quidem monita saluber-
 rima audiebat. Intempestâ nocte virum
 videt inajestate vultûs, & multâ canitie
 venerandum. Ego, ait hic, ille sum, qui
 rui causâ omnia, sed te mei unius gratiâ
 condidi. Si nondum intelligis, omnium
 PATER sum, sed te filium degenerem
 ab dico, abjicio, & dirum damnationis
 Theta jam nunc tibi denuntio. Ita atto-
 nito sub alteram noctem vir adest integrâ
 ætate, spinis caput, cruce humeros in-
 signis, cætera nudus & sanguine, qui
 ex pectore saucio in fontem abierat,
 latè humum inundans; hic, si nescis,
 inquit, JESUS sum, Servator olim
 tuus, nunc Judex: simul manum pecto-
 ri immittit, & sanguine plenam in vul-
 tum jaciens ægri, erubescere, ait, vel sic
 & tesseram damnationis cape, salutis
 futuram, si maluisses. Sub hæc in cæ-
 los, æger in desperationem abiit. Ere-
 xit tamen miserum frater, & ut noxis
 expiatis ad *Amorem SPIRITUM* se
 verteret, suscit. Tertia igitur nox perso-
 nam visa ostendere, vultu prioribus non
 absimili, sed placido, & arridente, qua-
 lemque humero insidens columba proba-
 bat. Atque hæc scelerum veniam, & mor-
 tem beatam nuntiavit. Quis jam fidem
 non habeat dicentibus *columbam* sine fel-
 le esse? *Ex Spec. Exempl.*

*Ut almus hic Spiritus vivificet te, custo-
 di unitatem, & apud te quietus sede, præ-
 stolare*

FESTA MOBILIA. 5

*stolare ejus adventum, ut te ad se susci-
piendum paratum inveniat: Turbas fuge
& temporalium facultatum devota ne-
gotia, quatenus amabiliter Paracletus
veniat & requiescat in te. S. L. Just.
serm. de Pent.*

FESTUM SS. TRINITATIS.

Quid solem intueris? si sapias oculos
claudes. Fides talpa sit, oportet.
Nimirum non posse in parvulam fossam
exonerari Oceanum, Augustine, do-
cuisti. Manu tamen ad tanta mysteria
non semel nos duxit cælum. Ita quo
tempore Vafatenfes Hunni bello, & hæ-
resi suâ SS. TRIADEM Ariani impete-
bant, Miraculum contra hos ingens pu-
gnavit. Etenim sub ipsis sacris è cælo
in aram tergeminae guttæ se demiserunt,
invidiam crystallo facturæ. Has cum
legere Sacerdos vellet, ecce suapte spon-
te in unicam gemmam coivêre. Atque
hoc nobilissimum UNIVS TRIADIS,
& TRINÆ UNITATIS symbolum
Christiani cruce, hanc unionibus orna-
runt. Sed quod unâ suâ gemmâ sat dives
cruce esset, uniones omnes, velut victos
se faterentur, longè inde exsilierunt,
quo permoti cives aureâ denique cruce,
ut par erat, gemmam unicè pretiosam
includerunt. Jam in Virginis Claræ de
Monte Falco corde repertos ajunt
A 3 ho-

6 FESTA MOBILIA.

hodieque asservari tres globos, qui singuli cum singulis, quin inò bini etiam cum tertio certant pondere, nec tamen superant, nec superantur. Ostendit hæc Virgo nobilius aliquid quàm aurum, quo mysterium hoc claudamus, cor nostrum. Aut enim hoc, aut nihil capit DEUM.

Quemadmodum reliquis omnibus membris caput anteponis, & cætera membra objicis, ut ictum à capite avertas; ita Sanctæ & ejusdem essentia Trinitatis fidem sine qua vitam, quæ vere vita sit, vivere nemo potest, rebus omnibus antepone.
S. Ephrem in Vit. rect. rat.

FESTUM SS. CORPORIS CHRISTI.

Juvat pompæ, quam omnis hodie orbis Christianus ducit, exordia paucis denarrare. Virgo fuit non procul Leodio; nomen virgini Juliana. Hæc dum caelos, quos animo jam habitabat, oculis etiam obambulat, novam Lunam aspicit, à quâ altera lubens lucem suam mendicaret: pleno tamen incremento aliquid restare videbatur. Subinde audit Ecclesiam hanc esse Christi sponsam, cui porrò ad decoris supplementum nihil deesset quàm ut sponsum suum sub pane latitantem festo die, & pompâ celebraret. Et verò ad hoc operam Julianæ cæli expetere. Diu linguam Virginis modestia ligatam tenuit,
dura

FESTA MOBILIA. 7

dum amor denique solvit, & detegere visum, cum aliis, tum è Canonico collegio uni suavit. Is tunc Io. Lanfenna post Pont. Urbanus IV. fuit. Et forte dum hic ad clavum Ecclesiæ sedet, Bolfenæ Sacerdotis. sacrificantis mentem dubitatio subiit de Numinis in S. Eucharistiâ præsentia. Vulneravit hæc perfidia Christum. Nam præterquam quòd remoto panis velo, in conspectum se dedit, scaterere sanguine calix, & effundere se hic in aræ linthea visus est. Tum verò Urbano Pont. jubente miraculum hoc per urbem illam est circumlatum; jamque urbem unam omnis orbis æmulatur. Rectè porrò nos faciemus, si in ferculum DEO nostro non aurum, aut argentum modò, sed quod magis amat, oculos, linguam, pectus, cor adeò commodabimus. *Ex hist. revel. Inst. vener Sacram.*

Christiane, qui se hic tibi manducandum dedit, quid tibi denegare poterit in futurum? & qui tantum tibi viaticum paravit ad victum, quid in illa mansione perpetua non paravit? Manducabitis in Mensa mea: audisti Dei convivium; sollicitus non sis de qualitate convivii. S. Pet. Chryf. f. 95.

FESTUM S. ANGELI CUSTODIS.

DA mihi Arge, ô Angele mi, da penam vel unam è tuis, quâ laudes tuas

A 4

fcri-

§ FESTA MOBILIA.

scribam. Sedô! unde incipiam? ubi desinam? Nondum natus eram, & tamen jam latus stipabas meum, ô Custos uni-
ce! Infanti sinum, puero manum dedi-
sti, ô Pædagoge amantissime! Tu verba
formare, & nunc Patrem in cælis J E-
S U M, nunc Matrem M A R I A M clamare,
tu nunc artes humaniores, nunc iëve-
riores docuisti, ô doctor fidissime! Tu
in bivio vitæ dubio viam Mercurius
monstrasti, præisti, duxisti, insidias
dutexisti, in hospitium ô quale intro-
duxisti, dux fidissime! Sed vin' com-
pendium tuarum dem laudum? morituro
quotidie aurem vellicas: irati iudicis
timere vultum doces: mones præcipitia
infera cavere, cæli ardua digito osten-
dis, ad hæc expetenda cogitationibus
animum adhortaris, & fatigatum ma-
nu ducis, succumbentem portas, æ-
grum foves, impugnatum propugnas.
Illud quantum est; quòd, nisi ego te
vividus, tu etiam mortuum non es deser-
turus. O mi Arge! ô Angele mi! cur
ut laudes tuas scriberem, pennam è
tuis unam aliquam non dedisti? Sed eja
hanc meam cape, & si placet, M A G N æ
V I R G I N I S, cui uni laboravit, pedi-
bus substerne. Ut multæ aliæ tam altum,
certè altiùs nulla volaverit penna.

*Noli ô homo. Conditoris tui negligere
munus; noli custodis tui Angeli benevolen-
tiam spernere, parvi pendere ministerium,
suffra-*

I. Ian. VITÆ SANCTORUM. 9
suffragium abjicere, & ignorare consi-
lium. Sta super custodiam tuam: Tibi
assistunt Angeli; à dextris boni, à sinistris
mali, S. Laur. Iust. de vit. sol. c. 16.

CIRCUMCISIO DOMINI.

I. Iannarij.

Ut ego te exosculor diem candidissi-
mum! ô fidus! ô JESU Nomen! Ite
jam astrorum arbitri, dicite sanè fata-
lem hanc mihi stellam esse, horoscopum
meum esse, ab hâc vitam meam, vitæ
studia, mortem, omnia dependere.
Rectè. Quidquid igitur agam, JESU
auspice agam Vigilabo? in oculis JESUS
erit. Dormiam? JESUM somniabo?
Ambulabo? comes JESUS ibit. Sede-
bo? latus claudet JESUS. Studebo?
JESUS erudiet. Scribam? calamum cum
manu JESUS ducet, & JESUS JESUM scri-
bet. Orabo? verba JESUS formabit, ani-
mabit JESUS. Fessus ero? recreabit JESUS.
Esuriam? sitiam? JESUS pascet, ille po-
tabit. Agrotabo? Amor aderit medicus,
JESUS. Moriar? JESU immoriar meo.
JESUS supremis labris natabit. JESUS o-
culos claudet. JESU sinus mihi tumulus,
tumuli inscriptio JESU nomen erit. Sed,
heu mihi? mi JESU! Amor meus! quid
video? quod si vitæ tuæ aurora tam multo-
cruore jam rubet; quàm largos imbres
sanguinis in sero vitæ vespere dabis, ô Sol
A 5 meus!